




Small white label on the spine with illegible text.



opuscula

Spina

I
C
A
E
I
A
S
I
A
-

VIVAT

30

ÆTERNUM

PRO VIRTUTIBVS, SAPIENTIA & MERITIS

ADMODUM REVERENDO Olim PATRI

DON. BENIGNO
BUCHOWSKI,

Ordinis Sancti B E N E D I C T I

Regalis Archi-Cœnobij Tynecensis PROFESSO, &

CANCELLARIO.

In Alma Vniversitate Cracoviensi AA. LL., & Philosophiæ

BACCALAVREO,

Olim in præfato Archi-Cœnobio Sacræ Th: LECTORI,

POETÆ LAUREATO,

Operum Musicalium Compositori,

Multarum Lingvarum peritissimo

à Petra Tynecensi

REPERCVSSVM.

Et in perennem tanti Viri etiam post funera magni memoriam

A

Don. CASIMIRO FORTVNATO ALBRYCHOWICZ,

Benedictino Tynecensi, ejusdemq; Archi-Cœnobij

Bibliothecario & Archivario,

in Sepulchrali lapide

lugubri calamô

IMPRESSVM.

Annô Domini MDCCXLII. Dié 16 Mensis Ibris

CRACOVIAE, Typis Michaëlis Dyafzewski, S. R. M. Typographi.

I.
Non vita hæc dicenda est, quæ
corpore & spiritu continetur: Illa
inquam, illa vita est, quæ vigebit
memoria seculorum omnium
quàm posteritas alet, quàm ipsa
æternitas semper intuebitur.

Cicero Idem pro M. Marcell: num. 29.

II.
Videtur quidquid Literis man-
datur, id commendari omnium
eruditorum lectione decere.

Cic: 2da. Tusc.

REVERENDISSIMIS DOMINIS
Sacro-Sanctæ THEOLOGIAE
DOCTORIBUS,
Ejusdemq̃ LICENTIATIS
Nec non Cathedrarum *Modētoribus*
Sacræ SCRIPTURÆ INTERPRETIBUS
CANONISTIS
Et Eruditissimis PHILOSOPHIÆ
PROFESSORIBVS
SACRI ORDINIS BENEDICTINORVM
Per REGNUM POLONIÆ
DON: CASIMIRVS FORTVNATVS
ALBRYCHOWICZ,
Benedictinus Tynecensis utramq̃ Fortunam.

MULTUM REVERENDI *olim* DOMNI
PETRI BENIGNI BVCHOWSKI, BE-
NEDICTINI Tynecensis, & Cancellarij
Viri Eruditissimi Elogia jure optimo *Vestros*
contendunt in sinus. Vos enim *lustris præ-*
sentibus illi Orbi BENEDICTINO affulsistis DOCTO-
RVM Soles quorum ingenia sunt splendida Scientiarum
Musæa, Corda Serenissima Virtutum Sotia, Cælum tangi-
tis Apicibus, conceditis in astra Caputibus, omnia Vobis Su-
blimia & cum sitis Religiosi Cor tantum & animus non ele-
vatus & præter demissionem jam nihil humile. Ideo Vir ille
Scientiarum qui superstes adhuc inter literarum pulveres de-
lituit, quibus usq; ad senectam & senium insudavit, ubi Cedro
perenniora egit, cedrorum in se translata immortalitatem sen-

tiens ut vivat æternum Vestro tandem aggregari voluit
confortio, qui fatorum vices & Communes mortalium sortes
ignoratis. Et jam in animo meo est, quod hic CLEAN-
THEVS PROFESSOR, qui nuper ab invidis fatis extin-
ctus est & vitæ clausit periodum, apertum apud Vos Glo-
riæ habebit, qui etiam de singulis Artibus cum singulis Arti-
ficibus Philosophari novit, nec tenere abnuvit cum Orpheo ple-
ctrum, cum Esculapio baculum, cum Archimede radium, cum
Euphrate horoscopium, cum Perdice Circinum, cum Vitruvio
perpendicularum; investigareq; non desistit, cum Tablete tempora,
cum Atlante Sidera, cum Zeto pondera, cum Chrysippo nu-
meros, cum Euclide mensuras altum Scientiarum profundo sem-
per scrutans Capite, ibi fundum tangebatur, ubi Abyssus videbatur.
Placeat proinde Vobis DOMINI DOCTORES &
PROFESSORES, Polono BENEDICTINI, hoc grati-
tudinis Symbolum, quod tanti Viri virtutes & ingenium in gra-
tiam posterorum circumfert ameno animo, quo ipsas Came-
nas soletis intueri inspicere & favore complecti. Parcite ta-
men modico Fortunato, quod Vestræ intranscursu quasiq; de
via & aliud agendo, litavi dignitati, qui tandem majoris Mi-
nerve muneribus, quasi signo expressiore æternum Vobis cul-
tum obsequiumq; testabor; ubi ad eam quam de me ipso apud
Doctissimos Viros opinionem concitavi non modo confirman-
dam verum etiam augendam quid præstabilius queram, quo
Vos & meum D. COLVMBANVM CIESZKO-
WSKI, Professum Calvo-Montanum Sacræ Theologiæ
Licentiatum, nuper Priorem Sancta-Crucium nunc Præ-
positum Coniemiolensem quondam PROFESSOREM
meum Philosophiæ Gratiostimū venerari contendam, Interim
ut in Annos fortunati & incolumes Valeatis, utq; quam simili-
mos Vestris in Areopagis, huic Clarissimo DOCTORI
PROFESSORES habeatis, propensissimo semper ex animo
Fortunatus comprecabor.

D A B A M T Y N E C I J S.

V I V A T
Æ T E R N V M

Pro Virtutibus, Sapientia & meritis
ILLUSTRI nuper extincto VIRO,

B E N I G N O
B U C H O W S K I,

B E N E D I C T I N O Tynecensi,
Utique

nòn insecundum duxit Fortunatus
altò gementis animi planctu ingeminare!

Quinimò

Decenti jam in elogium stetit
nòn pro una hora Horatius,
sed pro tota æternitate plenus Plinius
ore pleno ejus exosculans Panegyres.
& ne obscuro tumuli extingveretur in angulo
splendidus quondam Ecclesiæ Angelus
Carmina hæc luci publicæ dedit.

Hic etenim

Mundo mortuus, Orbi B E N E D I C T I N O natus,
Factis virtutem, veluti facibûs illustravit
rem nòn magnificante Parrhasio
taliter vixit ut etiam demortuus

V I V A T Æ T E R N V M.

INGENIOSUS PARNASSIDES

Tynecensi insertus Aræ,

In Alma ac Celeberrima Vniversitate Cracoviensi,
Scientiarum Matre Laureatus,

F L O R I D V S J V V E N A L I S

B

Magne

Magnæ spei Filium

Religiosa redolebat in Corona,

PETRV M se PETRÆ Tynecensi dedit,
quem ut facilem usibus cunctis haberet Tynecia

Voluit esse Benignum.

Indoles & virtus à Charissimis derivata Parentibus

S. R. J. C O M I T I B V S

Nòn minorem suis Majoribus Sobolem

Religiosis dignum sidus judicabant astris.

Ita nempe

Virtutes per plurimæ uni Capiti dari,

quod Angelicis mentibus negatum,

Sapientia unius sollicitante multos

Merita etiam unum promereri deposcebant Virum

Et factum est ita!

Auspiciatissimis votum successit Primitijs,

ex hoc operis formidandi profundò

altitudo divitiarum Sapientia & Scientia DEI

studiò Theologico illi quærenda erat;

ut quod operabatur Sacerdos

quântum homini permissum est intelligere posset & docere alios

T H E O L O G V S.

Et jam Sacrae Theologiae L E C T O R renuntiatus,

audiebatur de rostris Scholasticis ut oraculum,

dumq; apertam Bibliothecam,

quam in Capite clausit, in ore ferebat,

Lingvam stoæ, Peripathi totiusq; Senatûs Sapientum merebatur.

Et ubi Virtus & eruditio laudabatur,

Illius erat Elogium.

Ita erudivit alios, ut nunquam à Studio amoris ejus cessarent

Devincens animos & pectora,

Nulli nõn affabilis extitit.

Quas insignes animi Ejus dotes coronando

VENERANDISSIMUM Tynecense Asceterium,

Eundem PRÆPOSITVRÆ Conventuali Kościelnensi

Oneri & muneri parem suffecit.

PRÆ-

PRÆSIDENTE PERILLUSTRI
REVERENDISSIMO DOMINO

**D. DOMINICO
LOCHMAN,**

CANONICO CATHEDRALI CRACOVIENSI
COMMISSARIO APOSTOLICO.

Cujus Animum adeò in sui traxit benevolentiam,
Vt Eundem Primis Regni Principibus deprædicans,
in cordibus Eorum triumphare fecerit.

Hoc in honore omnes sinu Paterno complexus est;

Quæ dilatatio charitatis;

etiam Nominis Ejus celebritatem ampliavit.

Inclaruit, Literis Illius, devotionis Syllabus

ERGA VIRGINEM PRVDENTISSIMAM

Cui in Imagine Tuchoviensi Thaumaturgæ

ORTVM MIRACVLOSVM inscripsit.

Demonstrant vim ingenij Ejus sublimem,

Opera Ejus erudita & ingeniosa

Ex penetralibus omnium scientiarum petita,

Philosophia, Mathesi Theologia

& utroq; Jure

mirò ingenio

in gratiam doctarum mentium edita,

ex quibus Doctrinæ suæ stuporem;

apud Principes Viros sui æstimationem,

Felicissimè est consecutus.

Illius perjucunda Epigrammatum & Rythmorum Poëmata,
deterfa Typi sæpia,

ac studio Typothetarum impressa,

Ad spiritum Religionis accendendum,

Vsq; ad internam cordis effusionem

Singulari cum profectu & animi delectatione, leguntur.

In

In Scientia Musices,
totô animô imitatus Orpheum,
Quem (si Harmoniam Cælestem cum Pythagora admittim9)

Cælis pridem debebamus.

Q V I D E M V M

Nil ignorabat,

Cunctas scientias perpolivit,

Lex Docentium, Luxq; Doctrinarum Omnium,

Vtilis omnibus & singulis

Ex suis Scriptis voluminibus quæ lucent Orbi

Lucemq; edunt dum in lucem edita spectâtur.

Cui etiam pro lingvarum multarum peritia,

Debita Grammata dare, lingua unius non sufficit

Quare

O Togatorum decus, o Buchovi;

Quis Tuas uno poterit quadrante

Scire laudes, quas nequit Archimedis

Circulus ullus.

Tibi ergo Elogium,

Et has animi mei propensi inscribo Syngraphas;

Vti Viro Scientiarum,

Phænici ætatis hujus

ARCHI.COENOBII TYNECENSIS DECORI;

In Doctrinæ Tuæ testimonium;

Et pro tessera Studij mei,

Qui nuper ab invidis fatis creptus,

In Montes æternos ascendens

pro virtutibus Sapiaentia & meritis,


Æ T E R N V M

V I V A S.

212

ts
e,
M
o-
m
o
es
er
ne
a-
ut
o
c-
y-
ti-
c-
o.
o.
o.
o.





22.000,-

3.XII.13



Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



02350

